

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago**

**Melanchthon, Philipp**

**Basileae, 1565**

**VD16 -M3220**

Amico cuidam

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

D. Gasparo Crucigero S. D.

I, 89.

Quicquid erit, superanda omnis fortuna ferendo est: inquit ille satis gloriose. Nos addamus, *Son-  
stros tē des.* Nam absq; diuina ope ne quidem sustineri tanti fluctus possunt, quantis iam cymba nostra concutitur. Ideo consolationem hanc Deus toties tradidit \* domicilium afflictos esse, qui ipsum inuocant. Duo certa signa propria Ecclesie conspicuntur in nostro coetu. Sonat apud nos uox Euangelij, inuocamus ueris gemitibus: & hostiū rabies extrema mimitatur. Econtrā hostes manifestē conantur extinguere lucem Euangelij, & perfidiosi amici arte opprimunt piorum inuocationē, quæ esse potest. Postremò securi triumphant, aut ex periculis se extricant, ut labrax ruptis maxillis hamo se eripit. Oremus igitur Deum, ut adsit nobis, et seruet Ecclesie reliquias. Bene & feliciter uale. Die 3 Aprilis, quo memoria celebratur pompæ triumphalis, qua filius Dei Hierosolymam ingressus est, uentus mularum ubi multi eum excipientes, magnificas species habuerunt imperij noui, qui postea ab eo pendente in cruce defecerunt. Similia nunc etiam fiunt. Vale.

Amico cuidam.

Non dubito, huius temporis rumores similitudinem esse miseriarum & certaminum temporis Mæ-

B 3 chabæo-

habeorum. Quare triste fatum extreme senectus  
mundi agnoscetes, & ut possumus ferentes, petamus,  
ut dux filius Dei pro nobis prælietur, & mihi  
get nobis arumnas publicas & priuatas. Ego etsi  
domestico luctu ualde excrucior: intuens publica  
Ecclesie uulnera, multo maiore dolore adficior. Re  
dire ad uos eo magis cupio, ut consuetudine &  
sermonibus uestris animum à mœsticia abducam.  
Deum eternum patrem Domini nostri Iesu Christi  
oro, ut te Ecclesie domesticæ tuæ, & communi  
seruet incolumem: & à uestris liberis depellat dia-  
bolum, grassantē in liberos. Bene uale, 2 Aprilis.

D. Iusto Ionæ S. D.

Reuerēde uir, & amice colende. Quoties de A-  
cademiæ nostræ statu, qualis fuit ante hoc tempus,  
cum sedes doctrinæ celebris esset, cogitamus, tuæ  
consuetudinis recordamur: teq; propter ingenij, e-  
ruditionis, eloquentiæ & uirtutis præstantiam sin-  
gulare ornamentum nostri coetus fuisse iudicamus,  
ac tuam assiduitatem in uarijs Ecclesiarum nego-  
cijs, in dandis consilijs, in iudicijs, in alijs laboribus  
grata cōmemoratione prædicamus: ac inter exem-  
pla inconstantie rerum humanarum recensemus,  
& huius nostræ politiæ cōcussionem, in qua tam  
multa ornamenta amisimus. Etsi autem ab illustris-  
simo Electore, postquam ex tanto naufragio non  
solū